

Klassieke Olympiaden 2016-2017

Latijn volwassenen



Inleiding

Er zijn leiders die met gezag regeren. Ook zijn er leiders die op beslissende momenten leugens inzetten om het gezag te bewaren. In het volgende verhaal van Aulus Gellius vinden we een prachtige leugen van een zekere Sertorius. Met deze leugen is hij van succes bij zijn onderdanen verzekerd.

Aulus Gellius, 15.22

Sertorius, vir acer egregiusque dux, et utendi regendique exercitus peritus fuit. Is in temporibus difficillimis et mentiebatur ad milites, si mendacium prodesset, et litteras compositas pro veris legebat et somnium simulabat et falsas religiones conferebat, si quid istae res eum apud militum animos adiuvabant.

- 5 Illud adeo Sertorii nobile est: Cerva alba eximiae pulchritudinis et vivacissimae celeritatis a Lusitano ei quodam dono data est. Hanc sibi oblatam divinitus et instinctam Dianae numine conloqui secum monereque et docere, quae utilia factu essent, persuadere omnibus instituit ac, si quid durius videbatur, quod imperandum militibus foret, a cerva sese monitum praedicabat. Id cum dixerat,
- 10 universi tamquam si deo libentes parebant.

- Ea cerva quodam die, cum incursio esset hostium nuntiata, festinatione ac tumultu consternata in fugam se prorupit atque in palude proxima delituit et postea requisita perisse creditast. Neque multis diebus post inventam esse cervam Sertorio nuntiatur. Tum, qui nuntiaverat, iussit tacere ac, ne cui palam
- 15 diceret, interminatus est praecepitque, ut eam postero die repente in eum locum, in quo ipse cum amicis esset, inmitteret.

- Admissis deinde amicis postridie visum sibi esse ait in quiete cervam, quae perisset, ad se reverti et, ut prius consuerat, quod opus esset facto, praedicere; tum servo, quod imperaverat, significat, cerva emissa in cubiculum
- 20 Sertorii introrupit, clamor factus et orta admiratio est.

Eaque hominum barbarorum credulitas Sertorio in magnis rebus magno usui fuit.

De jury verwacht vertalingen in correct Nederlands, waarin de nuances van het Grieks adequaat worden weergegeven. Vertalingen waarvan het Nederlands ook literair verzorgd is maken meer kans op bekroning.

Let op: bewerkingen en creatieve eigen versies van het verhaal worden uitgesloten. In een Nederlandse vertaling wordt met alle elementen van de originele tekst iets gedaan, en staan in principe geen toegevoegde elementen, anders dan vanuit de noodzaak van het Nederlandse taaleigen.

Als model voor literaire vertalingen kan men denken aan vertalingen in boekvorm zoals recent uitgegeven bij Athenaeum-Polak & Van Genneep, Historische Uitgeverij, Damon enz.

U kunt uw vertaling voor 1 februari 2017 sturen naar klassiekeolympiaden@gmail.com.